

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

1 Nisi te, Marcia, scirem tam longe ab infirmitate muliebris animi quam a ceteris vitiis
2 recessisse et mores tuos velut aliquod antiquum exemplar aspici, non auderem obviam
3 ire dolori tuo, cui viri quoque libenter haerent et incubant, nec spem concepissem tam
4 iniquo tempore, tam inimico iudice, tam invidioso crimine posse me efficere, ut fortunam
5 tuam absolveres. fiduciam mihi dedit exploratum iam robur animi et magno experimento
6 adprobata virtus tua. non est ignotum, qualem te in persona patris tui gesseris, quem non
7 minus quam liberos dilexisti, excepto eo quod non optabas superstitem; nec scio an et
8 optaveris: permittit enim sibi quaedam contra bonum morem magna pietas. mortem A.
9 Cremuti Cordi parentis tui quantum poteras inhibuisti; postquam tibi apparuit inter Sei-
10 anianos satellites illam unam patere servitutis fugam, non favisti consilio eius, sed dedisti
11 manus victa fudistique lacrimas palam et gemitus devorasti quidem, non tamen hilari
12 fronte texisti, et haec illo saeculo, quo magna pietas erat nihil impie facere; ut vero ali-
13 quam occasionem mutatio temporum dedit, ingenium patris tui, de quo sumptum erat
14 supplicium, in usum hominum reduxisti et a vera illum vindicasti morte ac restituisti in
15 publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat. optime mer-
16 uisti de Romanis studiis: magna illorum pars arserat; optime de posteris, ad quos veniet
17 incorrupta rerum fides auctori suo magno imputata; optime de ipso, cuius viget vigebit-
18 que memoria, quam diu in pretio fuerit Romana cognosci, quam diu quisquam erit, qui
19 reverti velit ad acta maiorum, quam diu quisquam qui velit scire, quid sit vir Romanus,
20 quid subactis iam cervicibus omnium et ad Seianianum iugum adactis indomitus, quid sit
21 homo ingenio, animo, manu liber. magnum me hercules detrimentum res publica ceperat,
22 si illum ob duas res pulcherrimas in oblivionem coniectum, eloquentiam et libertatem, non
23 eruisses: legitur, floret, in manus hominum, in pectora receptus vetustatem nullam timet;
24 at illorum carnificum cito scelera quoque, quibus solis memoriam meruerunt, tacebuntur.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Charakterisieren Sie an Hand dieses Textes Sprache und Stil des Autors.
2. Erläutern Sie die Begriffe pietas, fides, supplicium.

